



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno DLXXVII. ad annum DXC.

**Parisiis, 1644**

Epistola XLVII. Gregorii Papae I. Ad Honoratvm Diaconvm. De  
oppositionibus Theodori ducis Sardiniae.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15221**

EPISTOLA XLVII.

GREGORII PAPÆ I.

AD HONORATVM DIACONVM.

De oppositionibus Theodori ducis Sardiniae.

*Gregorius Honorato diacono.*

**Q**VIA regiminis locum licet immeriti suscepimus, oportet ut fratum nostrorum necessitatibus, in quantum facultas suppetit, occurramus. Ianuarius ergo metropoleos Caralis frater & coepiscopus noster veniens hoc in Romanam ciuitatem edocuit nos, Theodorum gloriosum magistrum militum, qui ducatum Sardiniae insulae suscepisse dignoscitur, multa illic contra piissimorum dominorum iussa peragere, quibus plurima grauamina professorum, vel ciuium imperii sui, competenti clementia ac mansuetudine submouerunt. Pro qua re volumus ut apto tempore piissimis dominis, iuxta id quod prouinciales prædictæ insulae iuste & competenter postulant, suggestas, dum & antea ad Endacium gloriosum magistrum militum, iam per inductionem septimam tunc ducem Sardiniae, sacra imperialia cucurrerunt: quibus omnia præcepérunt grauia nunc capitula submoueri, quatenus eorum iussa de pietatis fonte procedentia, a ducibus, quos in tempore præesse contigerit, inconcussa seruentur, mercesque eorum ab administratoribus non debeat dissipari: ut quietam sub imperio clementi dominorum vitam transigant, & consultum, quod subiectis suis tranquilla mente tribuunt, in aduentu æterni iudicis multiplicata compensatione recipient.

EPISTOLA XLVIII.

GREGORII PAPÆ I.

AD ANTHEMIVM SVBDIACONVM.

Quod mulieres circa monasteria monachorum non manent, nec pueri ante octodecim annos in monasterio suscipiantur.

*Gregorius Anthemio subdiacono.*

**S**IC VT regiminis locum Deo, ut ipsi placuit, disponente suscepimus, ita nos oportet de commissis nobis ani-